PARS III.

LIBRI IV. REGUM, II. PARALIPOMENON ET II. ESDRAE

Ne turberis, dilecte, neque putes sacram Scripturam sibi ipsi alicubi adversam: sed disce potius dictorum veritatem, et tenens diligenter illius doctrinam, obtura aures illis contraria dicentibus.

S. Jo. Chrysost., Homil. IV in Genes.

SECTIO I.

DE QUATUOR LIBRIS REGUM

Quisnam horum librorum auctor fuerit, certo non constat. Communis fere sententia est, librum primum a *Samuele* esse conscriptum usque ad caput xxv, ubi de ipsius morte agitur; ab hoc autem loco usque ad finem libri secundi auctores esse *Nathan* et *Gad* videntes, id est, prophetas; tertii vero et quarti libri *Esdram*, vel *Ieremiam*. Alii, inter quos est *Sanctius* (1) putant, reges Israël et Iuda habuisse, qui quod singulis diebus dignum videretur publica memoria, in annales referrent; *Ezechiam* vero regem, aut eo iubente alios ex his annalibus concinnasse seu in ordinem redegisse hanc Regum historiam; prout hodie in iv libris Regum extat. Porro ex quatuor hisce libris priores duo ab hebraeis vocantur *liber primus, et secundus Samuelis*, haud dubie, quia *Samuel* est libri primi auctor: posteriores vero duo libri, qui a nobis nominantur liber tertius et quartus Regum, ab hebraeis vocantur *liber primus et secundus Regum*. Ceterum synopsis horum quatuor librorum est sequens. Liber i capitibus triginta et uno describit vitam Heli pontificis, virtutes et gesta *Samuelis*, electionem *Saulis*, gesta *Davidis* et *Ionathae*. Liber ii capitibus viginti quatuor recenset acta *Davidis* iam regis. Liber iii et iv prosequuntur historias regum usque ad captivitatem babylonicam, nimirum a *Salomone* usque ad *Sedeciam* et *Osee*, illum Iuda, hunc Israëlis reges ultimos. Complectitur autem liber tertius capita viginti et duo; liber vero quartus capita viginti et quinque.

(1) Proleg. 1 in libros Regum.

CAPUT I.

De libro I. Regum.

1. Quaeres I. *Quomodo* elcana (1, Reg. i, v. i), *dici possit* ephrathaeus, *quasi ex tribu* ephraim *oriundus; cum tamen* (1, Paral. 6, v. 36), *aperte dicatur fuisse ex tribu* levi? ℟. Vir *ephrathaeus* vocatur *Elcana*, non quod genus duxerit ex tribu *Ephraim* (nam erat ex tribu *Levi*), sed quia habitavit in

monte *Ephraim*, et in civitate levitica *Rama* (1) sita in tribu *Ephraim* natus erat et educatus. Quo modo in actis apostolorum (2) multi iudaei appellantur *cretes*, *arabes* etc. ea solum de causa, quod in *Creta*, *Arabia* etc. vel educati essent, vel domicilium fixissent.

2. Quaeres II. *Quomodo veritas illorum verborum Domini ad* heli (1. Reg. 2, v. 32): Videbis aemulum tuum in templo etc. *salva possit subsistere? Vel enim hic per* aemulum *intelligitur* samuel: *vel, ut interpretes communiter asserunt*, sadoc *summus pontifex*. Non primum: *Quia hoc loco sermo est de aemulo, qui sit sacerdos summus, iuxta illud* (cit. loc. v. 35.): et suscitabo mihi sacerdotem fidelem, *sed* samuel *nunquam fuit sacerdos*. Non secundum; *nam non apparet, quomodo Deus de sacerdote* sadoc *ad* heli *dicere potuerit:* videbis aemulum tuum, *cum* heli *diu ante* sadoc *mortuus fuerit*. ℟. Per aemulum intelligendus est *Sadoch*, qui *Abiathari* summo sacerdoti ex *Heli* oriundo postmodum a *Salomone* rege est substitutus. *Salomon* enim *Abiathar* pontificem descendentem ex *Heli* a pontificatu amovit, eoquod contra se cum *Adonia* conspirasset; ac pontificem constituit *Sadoc*, qui oriundus erat ex *Eleazaro*, iuxta illud (3): « Eiecit Salomon Abiathar, ut non esset sacerdos Domini, ut impleretur sermo Domini, quem locutus est supra domum Heli in Silo. Et (4): Sadoc sacerdotem posuit pro Abiathar. » Hanc autem vicissitudinem spectare non potuit *Heli*, qui octuaginta annis, antequam haec mutatio pontificatus accideret, mortuus est. Unde illa voce *videbis*, Deus alloquitur non tam *Heli*, quam eius posteros, ita ut sensus sit: *Videbis in posteris tuis*, quod in praedictionibus propheticis teste *Sanctio* (5) infrequens non est. Sic, quae promissa sunt *Abrahae*, in suis posteris impleta sunt. Sic etiam quod hoc loco minatur Deus, *videbis aemulum tuum*, non vidit *Heli;* vidit tamen, qui quartus ab eo summus pontifex fuit, *Abiathar*. Nam pontificatus in familia *Heli* mansit per quinque posteros, scilicet *Phinees*, *Achitob*, *Achias*, *Achimelech*, et *Abiathar:* inde rediit ad *Sadoc* et familiam *Eleazari*, in eaque mansit usque ad Christum (6). Vide etiam infra quaest. xxxvi.

3. Quaeres III. *An* Samuel (I. Reg. 7, v. 17) *licite aedificarit altare in* ramatha; *etsi tunc Tabernaculum foederis fuerit alibi?* ℟. Licite hoc fecit *Samuel*. Quamvis enim tabernaculum foederis tunc in *Ramatha* non fuerit, sed vel in *Maspath* (7), vel in *Nobe* (8); neque regulariter licuerit aras erigere et sacrificare extra locum tabernaculi foederis (9): tamen subinde viris sanctitate spectatissimis id ex speciali dispensatione et privilegio indultum legimus, ut exempli causa *Gedeoni* (10), *Manue* (11), *Davidi* in area *Areuna* Iebusaei (12), *Eliae* in Carmelo monte (13), in quibus locum non habebat ratio legis id vetantis, puta,

(1) Ut hoc melius intelligatur, notandum est, quod tribus *Levi* in divisione Chananaeae non acceperit sortem propriam, uti caeterae tribus, sed per eas sparsa sit, adeoque in iis sua habuerit oppida, inter quae erat *Rama*. Vide *Cornel. a Lap.* comment. in I. Reg. c. 1, v. 1.
(2) Cap. 2.
(3) III. Reg. c. 2, v. 27.
(4) Ibid. 35.
(5) Commentar. in I. Reg. c. 2, v. 32.
(6) Vide *Cornel. a Lap.* comment. in I. Reg. c. 2, v. 30.
(7) I. Reg. c. 7, v. 5. (8) Ib. c. 21, v. 1.
(9) Lev. c. 16, Iosue c. 22, v. 10 et 19.
(10) Iud. c. 6. (11) Ibid. c. 13.
(12) II. Reg. c. 24, v. 25.
(13) III. Reg. c. 18, v. 19, etc.

periculum idololatriae, cum essent viri pietate etsanctitate morum conspicui. Atque idem censendum est etiam de *Samuele*. Ita *Abulensis*, *Caietanus* et *Serarius*.

4. QUAERES IV. *Quomodo* SAMUEL *inter iudices populi israëlitici* BADAN *ponere potuerit* (I. Reg. 12, v. 11) *dicens:* MISIT DOMINUS IEROBAAL ET BADAN, ET IEPHTE, ET SAMUEL, ET ERUIT VOS DE MANU INIMICORUM VESTRORUM; *cum tamen nullus inter iudices sciatur*, BADAN *nomine?* ℟. Hoc loco nomine *Badan* vel, ut in Hebraeo est, *Bedan* intelligitur *Barac*, ut habet textus graecus LXX interpretum, vel *Samson*, ut habet textus chaldaeus, vel *Iair* ex tribu Manasse, qui viginti duobus annis Israëlem iudicavit (1), ut existimat *Calmet* (2). Neque enim in Scriptura infrequens est, quod una eademque persona habeat plura diversa nomina; adeoque ille *Iair* potuit alio nomine vocari *Badan;* sicut *Gedeon* alio nomine vocatus est *Ierobaal* (3), prout ipsum etiam hoc ipso loco (4) *Samuel* nominat.

5. QUAERES V. *Num verisimile sit, quòd* SAUL *tam enormem exercitum habuerit,* qualis (I. Reg. 11, v. 8) *his verbis:* ET RECENSUIT EOS IN BEZECH: FUERUNTQUE FILIORUM ISRAEL TRECENTA MILLIA, *describitur?* Antequam respondeam, observo, quod d. *de Voltaire* (5) hebraeum regem rideat, qui duos, non amplius, gladios (6) habens in omnibus sibi subiectis provinciis (nempe unum, quo ipse, et alterum, quo filius suus *Ionathas* accinctus erat), exercitum tamen ter centum millium conflasset; talem scilicet, qualem nec sultanus turcarum haberet, et qui satis foret ad orbem universum subigendum.

℟. Numerus ter centum millium militum in exercitu hebraeorum loc. cit. nihil est exaggeratus. Hebraei enim iam tum, cum *Iordanem* transirent, innumerabilem populum conflabant. Praeterea notandum, quod ille populus non habuerit specialiter conductum et exercitatum militem (sicut nostris temporibus fieri solet), sed proclamato semel bello, omnes ferendis armis idonei confluebant; ubi quisque, quod obvium, aptumque erat ad hostes vulnerandos, arripuit. Neque enim prisca illa saecula componere debemus cum nostris, ubi ipse usus bella in artem redegit. Ceterum qui plura de re militari veterum hebraeorum scire cupit, legat *Calmeti* dissertationes duas de militia hebraeorum. Taceo alios, qui hac de re scripserunt.

NEQUE DICAS: Limites duodecim tribuum in Palaestina nimis angusti videntur ad tot millia militum capienda. Nam ℟. Si sola urbs *Thebae* in Aegypto per singulas centum portas suas, ut *Pomponius Mela* (7)

(1) Iud. c. 10, v. 3.
(2) Comment. in I. Reg. c. 12, v. 11.
(3) Iud. 6, v. 32. (4) I. Reg. 12, v. 11.
(5) Vide cl. *Weissenbach* tom. 2, *Nova forma theologiae biblicae*, q. 11, p. 52.
(6) Nempe, ut ait Scriptura I. Reg. c. 13, v. 19, etc. *Faber ferrarius non inveniebatur in omni terra Israël; caverant enim Philisthiim, ne forte facerent hebraei gladium aut lanceam. Descendebat ergo omnis Israël ad Philisthiim, ut exacueret unusquisque vomerem suum et ligonem, et securim, et sarculum. Retusae itaque erant acies vomerum et ligonum, et tridentum et securium, usque ad stimulum corrigendum; cumque venisset dies praelii non est inventus ensis et lancea in manu totius populi, qui erat cum Saule et Ionatha, excepto Saul et Ionatha filio eius.*
(7) Lib. 1, c. 9; idipsum refert etiam lexicon univers. lipsiens. tom. 43, pag. 472, addens, quod hae *Thebae Aegyptiae*, graece etiam dicantur Ἑκατόμπυλος (*Hecatompylos*) id est, Urbs *centum porturum*. Dixi: *Thebae Aegyptiae*. De his enim solis hic loquimur, non vero de aliis urbibus *Thebae* dictis. Sic aliae sunt *Thebae Boeotiae* in Grecia, etc.

narrat, eodem tempore decem millia armatorum, adeoque integrum millionem militum emittere potuit, cur non tertiam huius partem demus universae Palaestinae? Item, si *Londini* incolae numeratur circiter 900000, *Parisiis* 800000 etc., cur in tota Palaestina non inventi fuerint 300000, qui ferendis armis idonei erant?

AT INQUIES: *Si in omni terra Israël non inveniebatur faber ferrarius*, qui israëlitis arma cuderet et suppeditaret, *nec in die praelii ensis aut lancea in manu totius populi, qui erat cum Saule et Ionatha, inventa est, excepto Saul et Ionatha filio eius;* prout in Scriptura (1) expresse legitur; quomodo, aut quibus armis *Saul* ammonitas aliosque Israëlis hostes (2), et *Ionathas* (3) philisthaeos superare potuit? ℟. Non dicit Scriptura, omnes israëlitas ensibus et lanceis caruisse, sed tantum sexcentos illos viros, qui erant cum *Saule* (4). Erant autem multi alii israëlitae, qui venerant ad pugnam, scilicet illi, qui prius erant cum philisthaeis, ascenderuntque de terra eorum (5), ut se israëlitis associarent; omnesque, qui se prius absconderant in monte Ephraim (6). Praeterea, si legatur totus contextus capitum 13 et 14 libri primi Regum, apparebit, valde verisimile esse sexcentos illos viros fuisse plerosque ex *Gabaa*, quae illis cum *Saule* communis erat patria. Gabaitae autem ad pugnandum non indigebant ensibus et lanceis, sed funda plurimum valebant (7), ita, ut huius potissimum adminiculo ferme adversus universum Israël aliquando (8) egregie obstiterint. Unde non improbabile est, eos alia armorum genera neglexisse; quemadmodum postea *David* cum *Goliatho* pugnaturus. Certe etiam pugnatores illi egregii, qui *Davidem* a *Saule* fugientem comitabantur, non nisi ex singulari peritia iaculandi, ac torquendi utraque manu fundam, commendantur (9). Vel etiam dici potest, quod israëlitae cum *Saule* et *Ionatha* adversus Israëlis hostes pugnantes, quamvis caruerint ensibus et lanceis, habuerint tamen praeter fundas et arcus alia armorum genera, aut rustica etiam instrumenta, vomeres, ligones, secures, sarculos; prout indicat ipsa Scriptura, dum post illa verba (10): « Porro faber ferrarius non inveniebatur in omni terra Israël. Caverant enim Philisthiim, ne forte facerent hebraei gladium aut lanceam » immediate (11) subdit: « Descendebat ergo omnis Israël ad Philisthiim, ut exacueret unusquisque vomerem suum et ligonem, et securim, et sarculum. » Poterant ergo his et similibus instrumentis obviis, quae saepe erant priscorum arma adversus Israëlis hostes pugnare: ac forcellebant, caetera hostium arma ad vim inferendam parata, inania ferme efficiebat. His enim usus esse non poterat nisi cum manus cominus consererentur.

(1) I. Reg. c. 13, v. 19 et 22.
(2) I. Reg. c. 14, v. 47.
(3) I. Reg. c. 13, v. 3; item I. Reg. c. 14, v. 13 et 14.
(4) I. Reg. c. 13, v. 15, 19, et 22.
(5) I. Reg. c. 14, v. 21.
(6) Ibidem, v. 22.
(7) Unde de habitatoribus *Gabaa* Iud. c. 20, v. 16, legimus: *Septingenti erant viri fortissimi, ita sinistra ut dextra praeliantes, et sic fundis lapides ad certum iaciebant, ut capillum quoque possent percutere.* Porro haec armorum species (nempe fundae), in qua israëlitae maxime ex-
(8) Iud. c. 20, v. 16 et seqq.
(9) I. Paral. c. 12, v. 1 et 2, ubi dicitur: *Hi quoque venerunt ad David in Siceleg, cum adhuc fugeret Saul, filium Cis, qui erant fortissimi et egregii pugnatores, tendentes arcum, et utraque manu fundis saxa iacientes, et dirigentes sagittas.*
(10) I. Reg. c. 13, v. 19.
(11) Ibidem, v. 20.

te ea igne liquando aliquando conflabant in perticas, pugiones et gladios, sed rudes et impolitos; ferme sicut *Samgar* iudex (1) vomere aratri occidit sexcentos philisthaeos, vel sicut hebraei insignem victoriam de *Sisara* retulerunt, etiamsi nec clypeum, nec hastam haberent (2). Denique, etiamsi maxima pars israëlitarum, qui ibant cum *Saule*, ab initio inermes fuissent, postea tamen occuparunt arma multa philisthinorum, quae ab his fuere relicta israëlitis subito irruentibus. Videntes enim philisthaei quasi viginti vivos e suis in media parte iugeri a *Ionatha* et armigero eius occisos, obstupuere, et huc illuc diffugientes, in ista perturbatione seipsos mutua caede interfecerunt (3), multique ex his teste *Iosepho* (4) arma in via reliquerunt, ut facilius sibi per fugam consulerent.

COROLLARIUM. Ex his sapiens lector facile colliget, quid anonymo illi incredulo, de quo infra quaest. XVII, num. 17 mentio redibit, respondendum sit, dum in suo scripto ad *D. Ioannem Cristoph. de Zabuesnig* dato ita inquit: «Si nullus faber ferrarius in omni terra Israël tunc inventus est, qui israëlitis arma cuderet, et israëlitae omnibus armis exuti erant, unde tam cito tot millia ensium (nempe pro armandis trecentis millibus israëlitarum) suppeditata sunt? Hoc plane mirum *D. Nonnotte* demonstrare debuisset, quod iudaici fabri ferrarii feliciter ex hostili captivitate evaserint, vel quod rex Israël exteros fabros ferrarios adsciverit, quod tamen neutrum ostendi potest.» Verum neutrum necesse est, ut ostendatur; prout ex nostris observationibus supra allatis facile cuilibet patet.

6. QUAERES VI. *Quomodo solus* IONATHAS *et armiger eius* (I. Reg. 14, v. 14) *potuerint percutere viginti philisthaeos, cum tamen hi eos* (Ibid. v. 11) *viderint adventantes?* ℟. *Ionathas* et armiger eius non ascenderunt ex illa parte, ubi a philisthaeis conspecti sunt, sed ex aliqua alia parte, ut cum *Iosepho* (5)

(1) Iud. c. 3, v. 31.

(2) Sic enim *Debbora* et *Barac* in suo cantico post illam victoriam cecinerunt Iud. c. 5, v. 8: *Nova bella elegit Dominus, et portas hostium ipse subvertit; clypeus et hasta si apparuerint in quadraginta millibus Israël,* hoc est, non apparuerunt in quadraginta millibus Israël, sive, in toto exercitu Israël nec hasta erat, nec gladius; sed debuerunt israëlitae armari fustibus, ligonibus, vomeribus, et quasi inermes adversus *Sisaram* prodire. Unde et soli Deo, quo duce ille profligatus est, omnis victoria et triumphus debetur; prout hunc locum exponit *Tirinus* cum aliis. Is ipse interpres ad initium sui tomi 1 *De idiotismis linguae hebraicae et graecae in Scriptura occurrentibus*, observ. 15, notat, quod particula *si* apud hebraeos subinde significet *non;* sicut in textu paulo ante allato: Sic etiam III. Reg. c. 17, v. 1, *Elias* dixisse narratur: *Vivit Dominus - si erit annis his ros et pluvia, nisi iuxta oris mei verba,* h. e. non erit ros et pluvia, nisi etc. Et Isai. c. 22, v. 14: *Si dimittetur iniquitas haec, etc.* h. e. non dimittetur. Et psalm. 94, v. 11: *Iuravi in ira mea; si introibunt in requiem meam,* h. e. non introibunt in requiem meam.

(3) I. Reg. c. 14, v. 16 et 20.

(4) L. 6 Antiq. c. 7.

(5) Loc. cit. ubi rem hanc his verbis narrat: *Cumque (Ionathas*, et armiger eius) *propius ad hostilia castra accederent appetente iam die, Palaestini* (id est Philisthaei) *ubi hoc viderunt inter se dicebant: ex antris et cuniculis prorepunt hebraei. Deinde Ionathae cum armigero inclamabant: Venite huc daturi poenas audaciae. Quam vocem Sauli filius cupide arripiens, ut indubitatum omen victoriae, tunc quidem recessit e loco in quo conspecti fuerant. Sed ex alia parte ad rupem accedentes propter situm incustoditam, magno labore difficultate loci superata, evaserunt ad hostem, aggressique sopitos viginti ex his interfecerunt, et totum exercitum stupore ac consternatione repleverunt; ut abiectis armis in fugam se darent.*

Menochius et nonnulli sentiunt: et haec quidem gesta sunt, ut idem *Iosephus* narrat, diluculo, dum homines adhuc solent esse sopiti. Philisthaei autem inopinatum hunc ascensum videntes conterriti sunt nimis, ita ut prae stupore efficerentur immobiles instar lapidum, et facile a *Ionatha* eiusque armigero acceleratis ictibus occidi possent, quod indicat Scriptura (1) dicens: *Et factum est miraculum in castris,* sive ut textus graecus septuaginta interpretum habet: *et factus est stupor in castris,* ita quidem, ut philisthaei videntes, duos viros tantam stragem edere, putarint omnes hostes super se irruere, ac in tantum perturbati sint, ut metu excaecati, et (ut *Iosephus* narrat) sole nondum plene orto se invicem non cognoscerent, sed socios suos putarent esse hostes, ac proin mutua caede sese laniarent; ferme sicut in bello, quod gessit *Gedeon* contra madianitas, contigit (2). Fuit autem haec consternatio prorsus extraordinaria, et (ut *Cornelius a Lap.* aliique contendunt) a Deo philisthaeis singulariter immissa. Probant id ex eo, quia sacer textus in fine versus supra citati (3) repetit, hoc fuisse *miraculum*, et quidem *quasi a Deo.* Denique *Iosephus* (4) addit adhuc aliam circumstantiam, ex qua facile intelligi potest, quod *Ionathas* eiusque armiger viginti philisthaeos interfecerint, nempe *sopitos.*

7. QUAERES VII. *An propheta* SAMUEL *regimen despoticum tyrannorum approbaverit, dum* (I. Reg. 8, v. 11 et seqq.) *ius regis ita descripsit:* HOC ERIT IUS REGIS, QUI IMPERATURUS EST VOBIS: FILIOS VESTROS TOLLET ET PONET IN CURRIBUS SUIS, FACIETQUE SIBI EQUITES ET PRAECURSORES QUADRIGARUM SUARUM... AGROS QUOQUE VESTROS, ET VINEAS ET OLIVETA OPTIMA TOLLET, ET DABIT SERVIS SUIS, SED ET SEGETES VESTRAS, ET VINEARUM REDITUS ADDECIMABIT, UT DET EUNUCHIS ET FAMULIS SUIS. SERVOS ETIAM VESTROS ET ANCILLAS, ET IUVENES OPTIMOS ET ASINOS AUFEBET, ET PONET IN OPERE SUO. GREGES QUOQUE VESTROS ADDECIMABIT, VOSQUE ERITIS EI SERVI. *Nonne* SAMUEL *hac descriptione iuris regii despotismum regum solemniter approbavit?* ℟. His verbis SAMUEL nequaquam despotismum regum approbat, neque describit, quid reges iure a Deo sibi dato possint, sed quid iure putatitio et usurpato *audeant, et, prout Sanctius* (5) ait, *pro suprema potestate, quam habere se putant, contra naturae leges, et omnem humanitatem tyrannice decernant.* Distinguendum nimirum est (6) inter ius regium regum hebraeorum antiquum a *Moyse* intimatum, et Deo propitio datum ac dictatum, et inter ius regium usurpatum magis, quam datum. Ius regium vetus, ac a Deo datum, seu potius regulae, quae regi eligendo sint observandae, extant Deut cap. 17, ubi v. 14 et seqq. ita legimus: «Cum ingressus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi et possederis eam, habitaverisque in illa, et dixeris: constituam super me regem, sicut habent omnes per circuitum nationes, eum constitues,

(1) I. Reg. c. 14, v. 15.

(2) Iud. c. 7, v. 21 et 22.

(3) I. Reg. c. 14, v. 15, ubi sic dicitur: *Et factum est miraculum in castris per agros; sed et omnis populus stationis eorum* (philisthinorum) *qui ierant ad praedandum, obstupuit, et conturbata est terra, et accidit quasi miraculum a Deo.* Vide *Sanctium* commentar. in hunc locum.

(4) Loc. cit.

(5) Commentar. in I. Reg. c. 8, v. 11.

(6) Hanc distinctionem *Io. Conr. Dannhaverus* affert et explicat in sua *Politica biblica,* eamque *Blasius Ugolinus* tom. 24, *Thesaurum Antiquitat. sacrarum*, edit. venet. 1761, column. 249 et 250, refert.

quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius gentis hominem regem facere, qui non sit frater tuus. Cumque fuerit constitutus, non multiplicabit sibi equos... non habebit uxores plurimas quae alliciant animum eius, neque argenti et auri immensa pondera. Postquam autem sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis huius in volumine, accipiens exemplar a sacerdotibus leviticae tribus, et habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitae suae, ut discat timere Dominum Deum suum, et custodire verba et caeremonias eius, quae in lege praecepta sunt. Nec elevetur cor eius in superbiam super fratres suos, neque declinet in partem dexteram vel sinistram, ut longo tempore regnet ipse, et filii eius super Israël ». Alterum ius usurpatum magis fuit, quam datum, Deoque irato et irritato non approbatum, sed permissum, quod *Samuel* verbis supra in obiectione citatis (nimirum I. Reg. 8, v. 11 et seqq.) non tam dictat, quam praesagit. Ubi cum *Samuel* ius regium proponit, sine dubio non loquitur de iure iusto et legitimo. Longe enim hoc ab illo antiquiori iure discrepat; neque dum ait: *hoc erit ius regis*, dicere voluit: *Hoc erit verum et legitimum ius*, sed duntaxat praedicit: *Hoc erit a regibus usurpatum ius*. Non tamen ideo propheta de nudo facto loquitur; nihil enim esset in eo singulare, cum iniurias facere etiam privati privatis soleant: sed de tali facto, quod coniunctum erat cum obligatione subditorum ad non rebellandum, ut nihil superesset, nisi poenitens ad Deum vindicem provocatio. Porro, quam gravia reges hebraeorum, hoc ius sequuti, subditis imposuerint vectigalia, docuit *Salomon*, qui populum sic gravavit, ut eo defuncto principes populi ad eiusdem filium *Roboam* novum regem mox accurrerint, dicentes (1): « Pater tuus durissimum iugum imposuit nobis; tu itaque nunc imminue paullulum de imperio patris tui durissimo, et de iugo gravissimo, quod imposuit nobis, et serviemus tibi. » Neque filius leviora cogitabat, sed sic respondit inclementer et barbare (2): « Pater meus aggravavit iugum vestrum, ego autem addam iugo vestro: pater meus caecidit vos flagellis: ego autem caedam vos scorpionibus. »

Corollarium I. Ex descriptione iuris regii a *Samuele* facta increduli apud cl. *Bergier* (3) pessime et prorsus inepte inferunt Scripturam veteris Testamenti continere perniciosas et ab omni humanitate abhorrentes leges politicas. Neque enim propheta ibi de legitimo et in iure naturae ac positivo divino humanoque fundato regum iure, sed de illegitimo et tunc temporis a regibus gentium inique sumto ac usurpato loquitur, quos brevi postea hebraeorum reges imitati sunt. Hinc idem propheta immediate addit (4): « Et clamabitis in die illa a facie regis vestri, quem elegistis vobis: et non exaudiet vos Dominus in die illa, quia petistis vobis regem. »

Corollarium II. Errat (ut mitissime loquar) comes de *Boulainvilliers*, dum M. *Bossueto* meldensi episcopo dicam impingit, quod in suo opere, *Politica ex ss. literis extracta*, inscripto, abutens sacro codice, nova vincula opprimendae hominum libertati apta fabricarit, fa-

(1) III. Reg. c. 12, v. 4.
(2) Ibid. v. 11.
(3) *Traité historique et dogmatique de la vraie religion*, tom. 6, chap. 5, art. 5, § 10.
(4) I. Reg. c. 8, v. 18.

stumque ac duritiem regum nimium quantum auxerit (1). Errat, inquam, ille comes; nam *Bossuetus* in memorato suo opere non fundat ius regum in usurpato illo iure regio, quod *Samuel* loco supra citato (2) describit, sed potius illud fundat in amore, quem omnes homines mutuo sibi debent, et in mutuis necessitatibus principum et subditorum (3). Praeterea docet, et ex s. Scriptura probat, quod regia auctoritas debeat esse paterna (4); quod principes ipsi legibus subiaceant (5); quod arbitrarium et despoticum regimen sit barbarum ac detestabile (6).

8. Quaeres VIII. *An* samuel *fuerit* vir ambitiosus, *et an ideo petitio populi israëlitici regem petentis ipsi displicuerit, quia praevidit, sic ius iudicis super Israël sibi, filiisque suis adimendum?* R. Iniqua et vana est haec incredulorum suspicio *Samuelem* criminantium, ac dicentium, ideo tam tetris coloribus (7) eundem prophetam ius regium descripsisse, ut populum a petitione regis averteret (8). Verum numquid *Samuel* non ipsemet (qui iuxta communem sententiam est auctor L. I. Regum) fatetur et asserit, se ex Dei iussu debuisse cedere voluntati populi regem petentis? *Dixit autem Dominus ad Samuelem* (I. Reg. 8, v. 7 et 9): *Audi vocem populi in omnibus quae loquuntur tibi, non enim te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos... Nunc ergo vocem eorum audi, verumtamen contestare eos, et praedic eis ius regis, qui regnaturus est super eos.* Ambitiosus et male contentus, quod substitutione eligendi regis ipse regimine populi excludatur, talem confessionem de voluntate Dei obsecundandi petitioni populi non inseruisset libro suo. Praedixit quidem *Samuel* hebraeis, quam dure a futuro rege habendi essent. Sed experientia tempore *Salomonis* et *Roboami* gravissima onera eis imponentium (9), item tempore *Achabi* et *Iezabelis*, innocentis *Naboth* vineam (10) iniuste occupantium, luculenter ostendit, utrum ipsius praedictio fuerit falsa.

Plane iniquum est, ideo aliquem vituperare, quia futura praevidit, et veritatem aperte prolocutus est. Praeterea cum populum poeniteret, quod regem petierit, metuentem, ne ea de causa a Deo puniatur, Samuel eundem sedavit et solatus est. « Dixit autem Samuel ad populum: Nolite timere... nolite recedere a tergo Domini, sed servite Domino in corde vestro... Et non derelinquet Dominus populum suum propter nomen suum magnum: quia iuravit Dominus facere vos sibi populum. Absit autem a me hoc peccatum in Dominum, ut cessem orare pro vobis (11). » Suntne haec verba hominis ambitiosi aut inordinate contristati, quod rege constituto regimen populi sibi suisque filiis subtrahatur?

9. Quaeres IX. *An fundata sit suspicio, quod* samuel saulem *non ex instinctu divino, sed ex compacto seu conventione cum eo pridem inita regem elegerit, ex spe,* saulem *in regendo populo nil nisi ex voluntate et iussu suo* (i. e. Samuelis) *acturum?* 2. *An* samuel saulem

(1) Encyclop. art. 20, ajouté p. 862.
(2) I. Reg. c. 8, v. 11 et seq.
(3) *Politique tirée de l'Ecriture sainte*, l. 1, art. 1.
(4) L. 3, art. 3.
(5) L. 4, art. 1, prop. 4.
(6) L. 8, art. 2.
(7) I. Reg. c. 8, v. 11 et seqq.
(8) Esprit du judaïsme, c. 4, p. 69, Bible expliquée, p. 294.
(9) Vide praecedent. quaest. 7.
(10) III. Reg. c. 21, v. 1 et seq.
(11) I. Reg. c. 12, v. 20, 22 et 23.

neo-electum regem domum redire iusserit; ipse vero loco SAULIS *populum multis adhuc annis regere perrexerit, novo rege interim vitam privatam ducente?* ℟. Utrumque est vana suspicio, putidumque incredulorum (1) commentum. Quod enim *Saul* non ex conventione humana, sed iussu et voluntate Dei in regem electus unctusque sit, non solum clare dicit Scriptura (2), sed etiam inde patet, quia cum *Samuel Saulem* secreto in regem unxisset, id se Dei iussu fecisse triplici signo *Sauli* dato, et accurate impleto confirmavit. « Et hoc tibi signum » dicebat *Samuel* (3) ad *Saulem* recens unctum regem, quia unxit te Deus in principem. Cum abieris hodie a me, invenies duos viros iuxta sepulcrum Rachel in finibus Beniamin, in meridie, dicentque tibi: inventae sunt asinae, ad quas ieras perquirendas... Cumque abieris inde, et ultra transieris, et veneris ad quercum Thabor, invenient te ibi tres viri ascendentes ad Deum in Bethel, unus portans tres haedos, et alius tres tortas panis, et alius portans lagenam vini... Post haec venies in collem Dei, ubi est statio philisthinorum: et cum ingressus fueris ibi urbem, obviam habebis gregem prophetarum descendentium de excelso, et ante eos psalterium et tympanum, et tibiam, et citharam, ipsosque prophetantes... Itaque cum *(Saul)* avertisset humerum suum ut abiret a Samuele, immutavit ei Deus cor aliud, et venerunt omnia signa haec in die illa. » Praeterea, quod *Saul* non ex compacto cum *Samuele* inito rex constitutus sit, etiam ex eo elucescit, quia forte electus est ad regendum populum. « Et applicuit SAMUEL (4) omnes tribus Israël, et cecidit sors tribus Beniamin. Et applicuit tribum Beniamin et cognationes eius, et cecidit cognatio METRI, et pervenit usque ad SAUL filium CIS. » Denique si haec electio fuisset callidum inventum *Samuelis*, his haud dubie stirpem suam praetulisset: iam vero sors cadebat non super tribum *Levi*, ex qua erat *Samuel* (5), sed super tribum *Beniamin*, ex qua erat *Saul* (6). Neque dici potest, ideo *Samuelem* non ex sua tribu sed ex tribu *Beniamin* constituisse regem, ut motum populi non contenti sedaret. Nam *Samuel* iam prius *Saulem* secreto (7) unxit in regem, inscio populo: ergo causa, cur *Samuel Saulem* ad munus regis promoverit, non fuit motus populi, sed alia, nimirum voluntas seu iussum Dei.

AT INQUIES: Si *Saul* iam ante iussu Dei fuit unctus in regem, superflua erat regis electio per sortem postea instituta. ℟. Cum *Cornelio a Lap.* (8) et dico: *Samuel* quidem iam ante ex Dei iussu *Saulem* unxerat in regem, sed secreto: postea vero ut eundem a Deo electum toti populo ostenderet, sortem iecit in instinctu Dei, qui *Samueli* suggessit, se ita sortes has directurum, ut non in alium quam in *Saulem* caderent. Prudenti consilio id fecit Deus, ne quis a *Samuele*, non a Deo electum *Saulem* ob privatam amicitiam, spes et commoda arbitraretur. Porro sors haec fuit divinatoria, sed a Deo suggesta, ideoque licita (9).

(1) Esprit du judaïsme, c. 4, p. 69. *Morgan*, Moral philosoph., tom. 1, p. 293.
(2) I. Reg. c. 9, v. 16 et 17.
(3) I. Reg. c. 10, v. 1-9.
(4) Ibid. v. 20 et 21.

(5) I. Paral. c. 6, v. 33, vide etiam *Cornel. a Lap.* I. Reg. c. 1, v. 1.
(6) I. Reg. c. 10, v. 20 et 21.
(7) Ibid. v. 1.
(8) Comment. in I. Reg. c. 10, v. 20.
(9) Vide *Cornel. a Lap.* comment. in

Restat, ut breviter ad alteram quaestionis partem, utrum *Saul* in regem unctus domum redierit, ita volente *Samuele*, ibique multis adhuc annis privatam vitam duxerit etc., respondeamus. Falsitas huius asserti inde patet, quia *Saul* postquam in regem electus est, non nisi uno mense (non vero multis annis vitam privatam duxit. Nam postquam *Saul* neo-electus rex *abiit in domum suam in Gabaa* (1)... *factum est quasi post mensem*, ut *Naas* rex Ammon voluerit viris *Iabes Galaad* eruere oculos dextros. Quo audito *Saul* cogebat exercitum, et caedebat castra *Naas* ad internecionem: hebraei vero applaudebant *Sauli* eique regnum confirmabant in Galgala (2). Adde, quod teste *Iosepho* (3) *Saul* electus rex, uno tantum mense a regio munere abstinuerit.

10. QUAERES X. *An Samuel* (I Reg. 15, v. 22-33) *ex puro et laudabili zelo* SAULEM *regem increpuerit? ac a Deo obiectum pronuntiarit, eo quod ille capto regi* AGAG *ex humanitate et misericordia pepercerit? Item: An decuerit virum sanctum, qualis dicitur fuisse* SAMUEL, *miserum et captivum regem* (ibid. v. 33) *immisericorditer in frusta concidere?* ℟. Haec et similia dicteria ab incredulis (4) in *Samuelem* ob hoc factum congesta virum cordatum, et solide doctum minime movent. Nam inprimis tantum abest, ut Samuel ex inordinato et amaro zelo *Saulem* reprehenderit, ut potius, postquam ex Domino Saulis peccatum intellexit, vehementer *contristatus fuerit, et clamarit ad Dominum tota nocte* (5), antequam ad obiurgandum *Saulem* accederet; post factam vero obiurgationem et declarationem, quod *Saul* a Domino reprobatus sit, *abiit... in Ramatha... et lugebat... Saulem, quoniam Dominum poenitebat, quod constituisset eum regem super Israël* (6). Amavit igitur *Samuel Saulem*, nec ex immodica ira, aut spurio, sed iusto zelo animatus, eum reprehendit, quod contra expressum Dei mandatum (7) non funditus deleverit Amalec, Agag regem, multamque praedam reservans. Imo ipse *Saul* fassus est, se peccasse. *Dixitque Saul ad Samuelem: Peccavi, quia praevaricatus sum sermonem Domini et verba tua* (8). Porro nihil fuit indecens in eo, quod *Samuel* regem *Agag* in frusta conciderit, quia, ut Scriptura (9) clare ait, *in frusta concidit eum...* CORAM DOMINO, quasi sceleratum in victimam anathematis iustitiae divinae sacrificans; idque non ex saevitia, sed ex zelo iustae vindictae (10), qualem zelum etiam habuit *Phinees* occi-

Actor. c. 1; et Ionae c. 1 de sorte triplici.
(1) I. Reg. c. 10, v. 26; et I. Reg. c. 11, v. 1.
(2) Ibidem v. 14 et 15.
(3) L. 6 Antiq. iudaic. c. 5.
(4) Bible expliquée, pag. 310, seqq. *Morgan*, op. cit. tom. 1, p. 298.
(5) I. Reg. c. 15, v. 11.
(6) Ibidem v. 34 et 35.
(7) I. Reg. c. 15, v. 3. *Nunc ergo vade et percute Amalec, et demolire universa eius; non parcas ei, et non concupiscas ex rebus ipsius aliquid; sed interfice a viro usque ad mulierem, et parvulum atque lactentem, bovem et ovem, camelum et asinum.* Vide etiam hanc in rem, Exod. c. 17, v. 8 et 14.
(8) I. Reg. c. 15, v. 24.
(9) I. Reg. c. 15, v. 33.
(10) Hinc, antequam regem *Agag* in frusta concideret *Samuel*, dixit ad illum I. Reg. c. 15, v. 33: *Sicut fecit absque liberis mulieres gladius tuus, sic absque liberis erit inter mulieres mater tua.* Praeterea omnes amalecitae a Deo erant internecioni destinati, quia israëlitis ex Aegypto per desertum ascendentibus restiterunt in *Raphidim*, et contra eos pugnarunt. Unde Exod. c. 17, v. 14, *dixit Dominus ad Moysen: Scribe hoc ob monumentum in libro... delebo enim memoriam*

dens *Zambri* israëlitam, et *Gozbi* mulierem madianitidem (1), et *Elias* propheta occidens sacerdotes *Baal* (2). Accedit, quod, quamvis haec verba Scripturae, *in frusta concidit eum*, intelligat *Serarius* cum aliis hoc sensu, quod *Samuel* propria manu occiderit regem *Agag:* tamen (ut *Cornelius a Lap.* (3) observat) *Iosephus* ait, id factum esse per alios iussu prophetae. Verba *Iosephi* (4) sunt: « Posthaec adductus est ad eum (prophetam *Samuelem*) *Agagus* rex amalecitarum, qui, cum O mortem amaram exclamasset! audivit a propheta: Quemadmodum tu multis hebraeorum matribus, caesis earum filiis, lamenta et luctum attulisti, ita aequum est, ut ipse matri tuae moestitiam afferas. Iussitque eum ibidem in Galgalis interfici: ipse vero reversus est Ramatham. »

11. QUAERES XI. *An* SAMUEL *fuerit vir seditiosus, et turbarum in regno Israel, ac dissidii inter regem* SAUL et DAVIDEM *auctor?* Antequam ad hanc incredulorum calumniam respondeam, observo, quod ii *Samuelem* depingant tanquam virum ambitiosum et seditiosum, qui pro plenitudine potestatis sibi arrogatae regem crearit, et iterum deposuerit. Sic aiunt, *Samuelem* ideo *Davidem* occulte unxisse in regem (5), ut aemulum regni contra *Saulem* excitaret, quibus insidiis et machinis intellectis, *Saul* rex in profundissimam tristitiam seu melancholiam demersus sit: *Samuelem* vero in nomine Domini praedicasse et excitasse seditionem et turbas in regno hebraeorum: hanc fuisse originem continui dissidii et discordiarum inter reges hebraeos et prophetas, sicque ortas fuisse apud superstitiosum hebraeorum populum geminas potestates perpetuo invicem pugnantes, unam regum, alteram prophetarum. Ita increduli (6). Porro auctor omnium harum calumniarum, teste cl. *Bergier* (7), addit, res eodem modo se habere in religione christianorum.

℟. Tota haec obiectio nihil aliud est quam congeries falsitatum et calumniarum adversus sanctum prophetam *Samuelem*, et religionem christianam. Nam falsum est, quod *Samuel* reges pro arbitrio suo crearit, aut deposuerit. *Saul* enim non ex gratia huius prophetae, sed sorte in regem electus est; ut supra (8) demonstravimus. Neque is a *Samuele* sed a Deo (*Samuele* duntaxat sententiam divinam promulgante) depositus, regnoque privatus est, et quidem solum in actu primo (9)

Amalec sub coelo; et iterum I. Reg. c. 15, v. 2 et 3. *Samuel* propheta ad *Saul* ait: *Haec dicit Dominus exercituum: Recensui, quaecumque fecit Amalec Israël, quomodo restitit ei in via, cum ascenderet de Aegypto. Nunc ergo vade et percute Amalec... non parcas ei... sed interfice a viro usque ad mulierem, et parvulum atque lactentem*, etc. En! quam iusto zelo *Samuel* propheta regem amalecitarum, quem *Saul* vivum reservavit, interficere potuerit.

(1) Num. 25, v. 10, et seqq. ubi Deus ipsi *Phinees* dat pro mercede perpetuum sacerdotium, eo quod divino zelo *Zambri*, et *Cozbi* pugione confodisset: *Dixitque Dominus ad Moysen: Phinees... avertit iram meam a filiis Israël, quia zelo meo commotus est contra eos... idcirco loquere ad eum: Ecce do ei pacem foederis mei, et erit tam ipsi, quam semini eius pactum sacerdotii sempiternum, quia zelatus est pro Deo suo, et expiavit scelus filiorum Israël.* Erat enim *Zambri* israëlita qui peccavit cum *Cozbi* muliere madianitide.

(2) III. Reg. c. 18, v. 40.

(3) Comment. in I. Reg. c. 15, v. 33.

(4) L. 6 Antiq. iudaic. c. 9.

(5) I. Reg. c. 16, v. 13.

(6) Esprit du judaïsme c. 4, pag. 72 Bible expliquée p. 311. *Morgan*, op. cit. t. 1, p. 299.

(7) Traité historique et dogmatique de la vraie religion, t. 7, c. 6, art. 1, § 17.

(8) Quaest. 9.

(9) Quamvis enim nonnulli putent,

ut scholae loqui solent. Praeterea falsum est, quod *Samuel* ad excitandam contra *Saulem* seditionem seditionem praedicarit, seu ad populum dixerit: id enim nullo probabili argumento ab incredulis evinci potest. Falsum quoque, quod *Samuel* seditioso aut alio inordinato affectu humano *Davidem* occulte in regem unxerit, sed id fecit, postquam miserando *Saulis* lapsui vehementer indoluit, expresse iussus a Deo. Nam (1) « lugebat *Samuel Saulem*, quoniam Dominum poenitebat, quod constituisset eum regem super Israël. Dixitque Dominus ad *Samuelem:* Usquequo tu leges *Saul*, cum ego proiecerim eum, ne regnet super Israël? Imple cornu tuum oleo, et veni, ut mittam te ad Isai Bethlehemitem; providi enim in filiis eius mihi regem (nempe *Davidem*). Et ait *Samuel*: Quomodo vadam? audiet enim *Saul*, et interficiet me..... Tulit ergo *Samuel* cornu olei, et unxit eum in medio fratrum eius. » En! non motu proprio, sed iussu divino adactus *Samuel Davidem* in regem unxit, atque hoc quidem ita intelligendum, non ut statim actu regnaret, sed ut *Sauli* mortuo in regno succederet. Sicut autem incredulus ille calumniator, de quo supra (2) mentio facta est, impudenter fingit dissidia et turbas adversus *Saulem* a *Samuele* seditiose excitatas; ita somniat nescio quas similes continuas lites et discordias inter alios prophetas et reges hebraeos *Saulis* successores tumultuose suscitatas. Denique per modum epiphonematis addit, res eodem modo se habere in religione christiana, qua crisi (ni

Saulem, quando ad eum *Samuel* I. Reg. c. 15, v. 23, dixit: *Pro eo ergo, quod abiecisti sermonem Domini, abiecit te Dominus, ne sis rex*, a Deo actu privatum esse regno, ut amplius non fuerit rex, sed Israëlis rex fuerit *David*; ipseque s. *Chrysostomus* (homil. de David cum Goliath) dicat, *Saulem regem putari, Davidem vero esse*; tamen melius alii cum *Cornelio a Lap.* censent, *Saulem* cit. loc. duntaxat privari regno quasi in actu primo, non secundo, hoc est, potestate regia illum deiici, sed permitti tamen ei illius usum et administrationem ad dies vitae, aut potius denuntiari ei privationem regni, cuius privationis realis executio postea facienda erat in eius clade et morte. Nam *Saulem* mansisse regem usque ad mortem, patet primo, quia ipse eousque regnum continuo gubernavit, perinde ut fecerat ante. Secundo, quia populus etiam posthac eum ut regem suum habuit et coluit. Tertio, quia *David* semper professus est, *Saulem* esse regem, se vero ad regnum actu gubernandum ius non habere, nisi post eius mortem. Nec aliud voluit *Chrysostomus* dicens, *Davidem* regem esse, scilicet a Deo designatum, ut *Sauli* abdicato morienti succederet, ac regnum ad posteros suos (i. e. *Davidis*) transmitteret, in isque perpetuaret. Denique ipse *Samuel* post hanc privationem, *Sauli* honorem regium detulit, eumque ut regem secutus est I. Reg. c. 15, v. 31. Alioqui enim Israël caruisset rege; nec enim *David*, ut dixi, rexit ante mortem *Saulis*. Quod ergo ait *Samuel* propheta: *abiecit te, ne sis rex*, sensum habet: « Abiecit te, ne diu in regno perseveres. Decrevit enim tibi regnum cum vita brevi auferre, illudque in *Davidem* transferre; quare non tui, sed *Davidis* posteri in regnum succedent, eruntque reges continuo Israëlis. » Si enim *Saul* Deo semper fidelis et obediens permansisset, regia dignitas et potestas mansisset apud eius posteros; cum autem factus sit inobediens, translatum est regnum sensu paulo ante explicato ad Davidem et huius posteros; prout *Samuel* I. Reg. c. 13, v. 13 et 14 *Sauli* praedixit his verbis: « Stulte egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui, quae praecepit tibi. Quodsi non fecisses, iam nunc praeparasset Dominus regnum tuum super Israël in sempiternum. Sed nequaquam regnum tuum ultra consurget. Quaesivit Dominus sibi virum iuxta cor suum; et praecepit ei Dominus, ut esset dux super populum suum, eoquod non servaveris, quae praecepit Dominus. » Plura hac de re invenies apud *Sanctium* commentar. in hunc Scripturae locum.

(1) I. Reg. c. 15, v. 35; et I. Reg. c. 16, v. 1, 2 et 13. (2) Loc. cit.